



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Genofefa Palatina. 2. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

rem ficeret: impensas causantem fidere Deo ius-  
fit; muris ergo dejectis, mox ab homine copioso  
magnum vim auri in opus accepit. Cum virtutibus  
omnibus abundaret, ardebat tamen charitate ma-  
xime, quæ ad illum cælo defluxit globo igneo in-  
scripta, ejus tessera futura & Ordinis insigne. Ea  
flamma cum totum hominem corripuisse, nihil  
mirum est, ardentes deinde titiones impunè tra-  
ctasse, subiisse caminos, cibos quin adeò absque  
foco solâ Charitatis flammâ percoxisse: sed ani-  
mos hominum eodem incendio ambusse, & ex-  
tremis odiis dissidentes non alio ferrumine colli-  
gavit, artificiosus in miracula sancti Amoris. Ut  
cum fratribus duobus pomiferæ arboris causâ ini-  
micitas inter se alentibus, arborem dissipare me-  
diām jussit, neuter ut uno pomo esset ditior; vel  
cum pauperum cauissam apud Regem acturus, nu-  
mum aureum inter digitos diffregit, ex quo cum  
sanguis copiosè manaret, inopum eum esse dixit,  
qui acerbis exactiōibus exigerentur. Hac deni-  
que virtute ad cælum subiectus est anno M.D.VII.  
cādem fiduciā aërem transvolans, quā olim mare  
pallio suo instratum enavigavit. Ex vita.

*Quām pulchrum est, quām decorum, vulnus à  
Charitate accipere. Alius jaculum carni amoris  
acepit, alius terreno cupidine vulneratus est; tu-  
nula pectus tuum, & preba te jaculo formoso; si qui-  
dem DEVS sagittarius est. Orig. hom. 2. in Cant.*

## S. GENOFEFA PALATINA. 2. Aprilis.

**G**ENOFEFA Brabantiae Ducis F. Sifridi Comi-  
tis Palatini conjux, post votum DEIPARA fa-  
ctum filium enixa est, id temporis Sifrido in Syria  
agente. Interea Golo, qui pro Duca Rempub. ad-  
ministrabat,

ministrabat, cùm pudicitiam sèpè sèpiùs GENOVÆ nec quicquam tentasset, ut scelus scelere regeret, apud reducem Principem in suspicionem eam adduxit, ac si alieno ex toro filium sustulisset. Maritus continuò crimen cum matre & puero aquis jubet margi. Sed mitiores domino famuli, cùm in silvas utrumque exposuissent, domise imperata peregisse ad simularunt. Nec defuit etiam inter silvas afflictis miserorum MATER, sed certam misit, quæ statâ horâ quotidie infanti ubera præberet. Annus agebatur orbis restaurati DCCL. exilii GENOVÆ V. cùm Sifridus, dum feras querit in homines offendit, in iis conjugem & natum, in utroque crimen suum agnoscit, VIRGINI verò Sosipatrī id loci temp̄ lūm struit: ut si ejus beneficia urbes taceant, vel silvæ loquuntur.

*Ex Molano.*

*In quacunque hominum verseris frequentia, caue aliena conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex: & si actum quid deprehendes, nec sic judices proximum, magis autem excusa.*  
Bern. de duod. grad. Hum.

## S. MVS A VIRGO. 2. Aprilis.

**E**RAT MVS A VIRGO ROMANA, rārum, at breve teneræ ætatis miraculum, cuius lecto nomine, cave citharam chorōsve cogites; nullæ occurrant Pierides; virtus severitatem, verborum moderationem, animi recessum disce. Quiescenti olim Deipara, denso virginum sacrarum agmine cincta, se obtulit; omnibus in vultu nitor solis, in ueste candor nivis. Et Regina quidem eam affata: Complices, inquit, meas dote virginitatis filij mei coniugium